

Thessandrus Sthenelusque duces et dirus Ulixes
 demissum lapsi per funem, Acamasque Thoasque
 Pelidesque Neoptolemus primusque Machaon
 et Menelaus et ipse doli fabricator Epeos.
 invadunt urbem somno vinoque sepultam, . 265
 caeduntur vigiles portisque patentibus omnis
 accipiunt socios atque agmina conscia iungunt.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
 incipit et dono divom gratissima serpit:
 in somnis ecce ante oculos maestissimus Hector 270
 visus adesse mihi largosque effundere fletus,
 raptatus bigis ut quondam aterque cruento
 pulvere perque pedes traiectus lora tumentis.
 ei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo
 Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli 275
 vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis,
 squalentem barbam et concretos sanguine crinis
 volneraque illa gerens, quae circum plurima muros
 accepit patrios. ultro flens ipse videbar
 conpellare virum et maestas expromere voces: 280
 'o lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum,
 quae tantae tenuere morae, quibus Hector ab oris
 exspectate venis? ut te post multa tuorum
 funera, post varios hominumque urbisque labores
 defessi adspicimus? quae causa indigna serenos 285
 foedavit voltus aut cur haec volnera cerno?'
 ille nihil nec me quaerentem vana moratur,
 sed graviter gemitus imo de pectore ducens
 'heu fuge nate dea teque his' ait 'eripe flammis.
 hostis habet muros, ruit alto a culmine Troia. 290
 sat patriae Priamoque datum: si Pergama dextra
 defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
 sacra suosque tibi commendat Troia penatis:
 hos cape fatorum comites, his moenia quaere
 magna, pererrato statues quae denique ponto.' 295
 sic ait, et manibus vittas Vestamque potentem
 aeternumque adytis effert penetralibus ignem.